Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

corpus eius et sepeliuit in cymiterio priscille in arenario uia salaria. sub die viii kalendas decembris.
Post mortem crescentiani retrudit carpasius largum et smaragdum et cyriacum in custo
diam. Et post dies iiii sedit in eodem loco in tellude et precepit sibi presentari cyriacum di
aconem. Cui sic dixit: Quare dies senectutis tue cum tormentis deducis ad inferos? Cyriacus
diaconus respondit: Ego semper hoc optaui. Dixit ei carpasius. Sacrifica diis immortalibus
et uiues. Cyriacus respondit: Sacrificent eis qui non nouerunt creatorem suum dominum nostrum
ihesum christum. Tunc iussit eum in catasta extendi et attrahi neruis et fustibus cedi. Cyriacus
autem clamabat dicens. Miserere michi peccatori domine ihesu christe. Eodem die nunciauit
carpasius uicarius omnia maximiano augusto que exercuerat in sanctos dei. Tunc iratus
maximianus augustus iussit omnes uinctos qui erant in custodia una cum cyriaco ca
pite truncari. Et data sententia, ducti sunt cum cyriaco diacono promiscui sexus numero
xx unus et decollati sunt uia salaria. intra thermas salustii foras muros. Quorum corpora
collegit noctu iohannes presbiter et sepeliuit alios in eadem uia. Sanctum uero cyriacum collegit
et commendauit sub die .xvii. kalendas aprilis. Ipso tempore maximianus interfecit sororem suam
artemiam. Et post dies viii. ueniens beatus marcellus episcopus cum lucina matrona christianis
sima. condiuit corpora sanctorum cum aromatibus et lynteaminibus et imposuit nocte in
pago cum eunuchis suis et sustulit ubi commendati fuerant. Translata sunt corpora cum
sancto cyriaco in predio eius. uia ostiensi miliario ab urbe roma septimo ubi requiescunt
in sarcofagis lapideis. quos manu sua recondit beata lucina in pace amen. vii die mensis augusti.
Eodem tempore beata lucina fecit donationem de facultate sua ex omnibus ecclesie catholice.
Hoc audiens maximianus augustus. indignatus proscriptione eam damnauit. Beata autem
lucina rogauit sanctum marcellum episcopum ut domum eius ecclesiam consecraret. quod et cum omni
deuocione fecit beatus marcellus episcopus. At ubi dum frequenter in eadem domo missas
celebrasset in media ciuitate uia latina: audiens hoc maximianus augustus iratus misit in
eandem ecclesiam, et fecit preceptione sua ut in eadem ecclesia plancte externerentur ad anima
lia catabuli publici et eundem marcellum episcopum ad seruicium animalium deputatum in custo
dia publica ubi et iam post multos annos seruiendo emisit spiritum. sub die .xvii. kalendas februarii. Cuius
corpus rapuit iohannes presbiter noctu cum beata lucina. et condiuit cum aromatibus et sepeliuit
in cymiterio priscille uia salaria. non longe ab urbe roma miliario iii. et requiescit in pace.
Eodem tempore precepit maximianus augustus ad se uenire carpasium uicarium suum et interroga
uit eum de discussione et nece sanctorum. Et dum uidisset placatum sibi maximianum petiit
ab eodem domum beati cyriaci. Cui confestim donauit domum cyriaci diaconi. Et dum in
troisset in eandem domum quam donauerat beato cyriaco diacono diocletianus augustus
inuenit locum ubi sanctus ciriacus diaconus fontem edificauit. quem consecrauit sanctus mar
cellus episcopus ubi frequenter baptizabat sanctus ciriacus uenientes ad fidem. Tunc carpasius
uicarius paganus crudelissimus ingressus est in eandem domum. Et dum introisset et inuenisset
baptisterium. fecit in eodem loco balneum. qui ad deridendam legem christianorum ut frequenter
lupanaribus et scenicis lauacrum exhibeat turpi luce gaudens in loco sanctificato. Et dum frequenter ista